

salutare lata die 5 Ianuarii 1588 Tridentino Decreto derogaverat; quam quidem Clemens VIII reduxerat ad terminos iuris communis, attamen praeservatis censuris et poenis in ea latis contra simoniacos in Ordine. At cum Pius Papa IX de eiusmodi censura in sua Constitutione siluerit, ea abrogata censenda est.

Cum itaque Episcopis aliisque iurisdictionem quasi Episcopalem in determinato territorio exercentibus, non aliis, facta fuerit a Pio Papa IX facultas absolventi ab omnibus censuris in Const. *Apostolicae Sedis* Romano Pontifici simpliciter reservatis, ad tramites *Cap. Liceat*, expendamus quinam sint hi limites, quos infra exercere concessam facultatem possunt Episcopi.

Et quidem, excluso semper homicidio voluntario, delictum debet esse a) occultum. Occultum autem dicitur *quod non est notorium, et quod potest aliqua tergiversatione*

celari etiamsi per aliquos testes probari possit (1).

Occultum, scilicet, e diametro opponitur publico. Publicum autem censetur quod notum est fere omnibus, aut saltem maiori parti Oppidi, Viciniae, Parochiae, Collegii, seu Monasterii (S. Alphons. VII 76).

Consequenter errant qui affirmant delictum esse publicum si commissum sit coram duobus aut tribus testibus et probari possit (2).

Delictum autem potest esse occultum *materialiter* et *formaliter*: materialiter quidem si factum lateat; formaliter si lateat culpabilitas. Rem exemplis illustrat Benedictus XIV *Inst. 27 n. 48*. « Si quis monialium claustra ingressus fuerit absque facultate, quam tamen ipsi concessam antea ceteri omnes arbitrantur; item si quis hominem consulto interfecerit, populus tamen iudicet id fortuito contigisse ut vitam suam tueretur; tandem si quis excommunicatus rem divinam fecerit, ante-

(1) S. Alphons. VI. 593. Atque plures pro eiusmodi definitione doctores eosque praestantissimos allegat.

(2) Id contradicit praestantissimorum scriptorum sententiae, quos citat Benedictus XIV *Inst. 87 n. 451* quo loco scribit: « M. Paulus Leo haec tradit: *Dicendum dum secundo, notitiam duorum, vel trium nec minus nocere, quominus aliquod delictum sit occultum*. Thesaurus etiam ita scribit: *Etiamsi res sit nota duobus vel tribus, res occulta dicitur. Item si quinque vel sex personis in aliquo oppido, vel septem aut octo, in civitate res nota sit, non dicitur publica, sed occulta*. Tiburtius Navarrus item plane fatetur: *Res adhuc est occulta si in oppido est nota quinque, aut sex personis, in civitate vero septem aut octo, adhuc occulta censi debet, modo scilicet ab illis non fuerit divulgata*. Syrus pag. 269 haec habet: *Si delictum sit notum duobus vel tribus alicuius loci, aut Communitatis, aut Capituli, occultum censetur. Si in oppido sit notum quinque, aut sex personis, in civitate vero septem aut octo, adhuc censetur occultum*.

» quam illis vinculis ac poena sol-
» veretur, illum tamen absolutum
» omnes putent. » Hisce porro in
» exemplis deest publicitas formalis,
» cum homines ita agentes nemo delinquentes habeat; adest tamen publicitas materialis.

Veram tamen illam sententiam non putamus, qua propugnatur, delictum aliquod uti occultum habendum esse quando ignoratur poena crimini adnexa; quam sententiam amplecti videtur cl. D'Annibale *Com. pag. 135 Edit. 3 not. 11* (1), pro eaque adstruenda ipsum Benedictum XIV citat. Primum enim doctissimus hic Pontifex loco prorsus ab eo citato huic sententiae adversatur; inquit enim: « Contra vero est, si crimen publice innotescat, licet omnes fere ignorent poenam ipsi crimini irrogatam, quae ignorantia iuris dicitur. Exemplum afferatur de muliere, quae consilium nefarium iniit cum alio viro de marito necando. Si hoc scelus in populum evulgatum certo fuerit, licet pauci intelligant ob hanc causam criminis impedimentum interponi, ne eadem mulier post illatam marito necem cum illo sce-

» lesto homine matrimonio iungatur; si, inquam, id contingat, tum rem captu difficilem semper existimavimus impedimentum huius generis tamquam occultum haberi posse, litterisque parendum Poenitentiariae, quibus illud decernitur; *dummodo occultum*; et profecto si hoc statueretur, iam crimen omne affinitatis ex *copula illicita*, et omne impedimentum *criminis*, licet haec publica sint, dispensari tamen poterunt tamquam occulta. Nam satis experientia compertum est, omnia impedimenta (si illud consanguinitatis et affinitatis ex *copula licita* solum omittas) ignota esse non modo oppidanis, sed illis etiam qui in magnis civitatibus versantur. Postremo nos ipsi iureriurando affirmare possumus, per tot annos, quibus S. Poenitentiariae addicti fuimus, suffragiumque nostrum, cum res eiusmodi proponerentur, scriptum, seu voce tenus dedimus, semper in more positum fuisse, ut impedimentum publicum *materialiter*, spectaretur, et numquam eo nos devenisse, ut examen fieret, an impedimentum

(1) En eius verba: Vid. Benedictus XIV, Not. 87, nn. 47, 48. « Veluti si Seius monialium Septa sine licentia fuerit ingressus; siquidem ignoratur ingressum fuisse, factum *materialiter* occultum dicitur; sin autem id scitur, sed creditur non sine licentia ingressus fuisse (error facti); vel sine licentia quidem, si nec scitur ingredientibus excommunicationem contrahere (error iuris), factum formaliter occultum dicitur. Itaque Episcopus absolvere poterit, nedum si peccatum occultum fuerit materialiter, sed et si formaliter tantum: seu error facti versetur, quod nemo dubitat; seu iuris, quod est communius ».

» formaliter occultum censendum
 » esset. P. Thesauri auctoritatem
 » proferamus, qui superius allatam
 » sententiam improbat, tamquam
 » S. Poenitentiarie institutis ac
 » consuetudini omnino contrariam,
 » cui se accommodare debent, qui
 » ipsius litteras ac diplomata exe-
 » quuntur. *Aliqui* (ait Thesaurus)
 » *audent ulterius, et dicunt; et-*
 » *iamsi sit publicum ut delictum,*
 » *si tamen sit occultum in ratione*
 » *poenae annexae a iure, posse dis-*
 » *pensari vel absolvi ab illa tam-*
 » *quam in occultis. Tamen con-*
 » *trarium tenendum est, quia hoc*
 » *est iuris ignorantia quae non*
 » *excusat ad hunc effectum, et hoc*
 » *observat S. Poenitentaria* » (1).

Attamen nedum S. Poenitentaria,
 sed ipsa S. Concilii Congregatio con-
 trariam sententiam improbat. Ete-
 nim apud Fagnanum eiusmodi de-
 clarationem reperimus. « An vigore
 » *Cap. 6 Sess. 24 de Reform.,*
 » possit Episcopus absolvi ab ir-
 » regularitate proveniente a delicto,
 » quod licet publicum sit in se, ta-
 » men tamquam causa irregulari-
 » tatis occultum censi potest;
 » quia licet actus publicus sit de-
 » lictum, publice tamen nescitur
 » esse delictum? Die 9 Septem-
 » bris 1582 S. Congregatio censuit,
 » quando delictum ex quo pro-
 » venit irregularitas est publicum,
 » quamvis actus ille, quo interve-

» niente irregularitas incurritur,
 » occultus sit, Episcopum dispen-
 » sare non posse, veluti si Sacerdos
 » publice excommunicatus, vel no-
 » torie simoniacus occulte missam
 » celebraverit; quod si delictum
 » occultum est, ut puta excommu-
 » nicatio vel fornicatio, actus vero
 » missam celebrandi, ex quo irre-
 » gularitas incurritur, publicus,
 » posse nihilominus Episcopum ab
 » omni irregularitate absolvere ex
 » dicto *Cap. 6.* »

Ita ut non intelligamus quomodo
 contraria sententia sustineri possit.

Potest tamen contingere ut de-
 lictum publicum quidem sit in alio
 loco, occultum vero ubi moratur
 qui dispensandus est, nec ullum
 subsit divulgationis periculum. Quid?
 Profecto ab eo Episcopus dispen-
 sare potest. Quod nedum doctores
 plurimi affirmant cum S. Alphonso
 L. VII n. 78, sed ipse Benedi-
 ctus XIV *Inst. 87 n. 46.*

Id autem ex ipso Capite Triden-
 tino probatur, ex quo deprehenditur,
 delictum occultum esse de-
 bere eo in loco, in quo dispensatio
 concedenda est; eius enim abso-
 lutio imponitur singulis Episcopis
 in Dioecesi sua.

Quam eandem dispensationem
 Episcopi concedere poterunt, si ali-
 quando delictum fuerit publicum,
 postea occultum evaserit. De re ita
 loquitur Benedictus XIV *Inst. cit.*

(1) Putamus hinc cl. D' Annibale ab aliquo auctore in errorem inductum fuisse,
 non quod ipsemet hunc Benedicti XIV locum legerit.

n. 47. « Secundo inquirunt utrum
 » impedimentum quod fuit ali-
 » quando publicum, diuturnitate
 » temporis occultum fieri possit,
 » ita ut dispensatio tribuenda vi-
 » detur. Quidem Marcus Paulus Leo
 » sic respondet: *Notandum quarto,*
 » *et ultimo, non implicare, quod*
 » *aliquid a sua origine et principio*
 » *fuerit publicum, et tractu tem-*
 » *poris fiat occultum. Tempus enim*
 » *omnia devorat, et quae non delet*
 » *ab hominum memoria diuturnitas*
 » *temporis? Hoc autem genus oc-*
 » *cultorum etiam pluries meo tem-*
 » *pore Signatura Officii Sac. Poe-*
 » *nitentiarie admisit, sed non eo-*
 » *dem modo in omnibus casibus;*
 » *in dispensationibus matrimonialibus*
 » *per decennium; in irregu-*
 » *laritatibus per viginti et triginta*
 » *annorum spatium.* »

b) Alia conditio, seu limes ad
 absolvendum Episcopis impositus
 est, ne crimen deductum sit ad
 forum contentiosum: *excepta ea*
quae oritur ex homicidio volun-
tario, et exceptis aliis deductis ad
forum contentiosum.

Attamen quaestio est inter do-
 ctos utrum ad hanc deductionem
 ad forum contentiosum satis sit
 quod delictum iudici ecclesiastico
 fuerit tantum denuntiatum, vel in-
 super necessarium sit ut delatio
 fuerit reo intimata.

Alterius *De Censuris Disp. VIII.*
pag. 132. unam denunciationem
 exigit: « Dicitur autem delictum
 » deductum ad forum contentio-

» sum statim ac denunciatio, aut
 » accusatio de illo coram legitimo
 » iudice facta est, quia Concilium
 » non postulat ut delictum sit pro-
 » batum aut condemnatum per sen-
 » tentiam iudicis, sed solum ut sit
 » deductum; deducitur autem per
 » denunciationem, vel accusatio-
 » nem ».

At aliis, quos inter cl. Reiffen-
 stuel *Ius. Can. Univ. lib. V Decret.*
Tit. XII n. 232 id satis non est,
 sed insuper requirunt et exigunt
 ut lis contestata fuerit. Ratio est,
 quia forum contentiosum dicitur ex
 eo quod in illo contendatur, seu
 litigetur; atqui non contenditur in
 eo, donec inter partes litigantes
 detur contradictio et contentio,
 quod fit per litem contestationem.

Quae sententia adeo S. Alphonso
 placuit, ut etiam exegerit proba-
 tionem criminis saltem per unum
 testem: *Tunc autem crimen cen-*
setur ad forum deductum, cum ibi
est probatum saltem per unum te-
stem, VII. 76.

Sunt autem qui mediam viam
 arripiunt, atque exigunt etiam ut
 delatio reo fuerit intimata. Hanc
 sententiam alios inter defendit
 Schmalzgrueber *Ius Can. Lib. V.*
Tit. 37, n. 116, quo loco scri-
 bit: « Ad Forum contentiosum de-
 » ductum censetur delictum quan-
 » do delatum est iudici, et insuper
 » delatio parti intimata. Unde si
 » delatum quidem sit iudici, non
 » tamen intimatum parti, dici ne-
 » quit deductum ad forum conten-

» tiosum. Imo quia iuxta commu-
» nem sententiam iudicium primum
» incipit a contestatione litis, po-
» terit Episcopus, usquedum lis
» contestetur, in irregularitate dis-
» pensare ».

Non inficiamur, unamquamque
sententiam opportunis argumentis
defendi posse. Postremam tamen
veriore existimamus.

Revera illud hac in quaestione
nobis certum videtur, quod rece-
dendum non sit nec a verbis legis,
nec a fine, quem sibi legislator in
lege statuenda sibi praestituit. Fi-
nis autem est, ne per publicum
iudicium crimen manifestum et no-
torium fiat. At hoc periculum reap-
se adest cum crimen denunciatum le-
gitimo iudici fuit, et delatio parti
intimata; hoc enim in casu iam
intercedunt acta publica delata per
publicos Tribunalis officiales, quo-
rum causa impossibile fere est,
vel absolute impossibile, ut cri-
men de cetero latere possit.

2. Iuxta leges constitutas, iudi-
cium tunc incipit cum post cri-
minis delationem, haec parti inti-
matur. Id constat ex Cap. *Gratum* 20
De officio et potest. iudicis
delegati, in quo dicitur, quod *ci-*
tatione facta, negotium sit quasi
coeptum: et ex cap. *Nemini* 10
De officio Legati, quo affirmatur lega-
torum iurisdictionem in iudicio ali-
quo cessare, ni praecesserit citatio:
cum iurisdictione illorum expiret,
si ante illorum discessum horum
citatio non praecesserit. Ergo post

delationis intimationem, seu cita-
tionem delinquentis ad comparen-
dum contentio iudicialis vel in-
coepta dici potest, vel ad eum
statum deducta, ut incipere debeat;
ideoque impossibile est ut crimen
lateat.

At 3. Ex Concilii Tridentini ver-
bis in cit. Cap. *Liceat*, nullo pacto
eruitur disceptationem iudicalem
inter partes incipere debuisse, quo
crimen notorium fiat; sed neque
erui potest; cum enim disceptatio
incoepta est, iam crimen publicum
evasit; etenim examinati fuerunt
testes, causidicis seu advocatis
utrimque defensio commissa, omni-
nibus Curiae officialibus crimen no-
tum est, consequenter non septem
vel octo, sed sexcentis etc. Finem
igitur quem sibi praestituerunt,
Patres Tridentini assequi non po-
tuissent eo casu quo contentiosa
disceptatio coram iudice incoepta
fuisset; crimen enim iam notorium
factum esset. Ergo loquuti intelli-
gendi sunt de eo causae statu, quo
impossibile fere est ut crimen de
cetero latere possit; qui certe re-
peritur cum facta delatio delin-
quenti intimata fuit.

Exinde ad sententiam propu-
gnatam a cl. Reiffenstuel et S. Al-
phonso responderi potest, crimen
iam esse publicum cum de eo co-
ram iudice inter partes disceptatur,
vel probatum est per unum testem;
consequenter frustra Tridentinos
patres cavisse per eiusmodi ad fo-
rum contentiosum deductionem ne

crimen notorium fieret. Etenim iam
notorium factum fuisset.

4°. Id, ni tamen fallimur, postre-
mo loco probamus ex declaratione
quadam S. Congreg. Concilii Trid.
relata a Fagnano in lib. V. Decret.
« An illi qui ratione delictorum
» fuerunt inquisiti, sed quia non
» potuerunt delicta probari, non
» fuerunt quidem diffinitive, vel
» alio modo absoluti, sed simplici-
» ter dimissi, scripta promissione
» de se repraesentando, possint uti
» beneficio Cap. 6. Sess. 24. Sacra
» Congregatio censuit non posse. »

Atqui actore non probante,
reus absolvitur; et nemo praesu-
mitur malus nisi probetur. Unde
ergo S. Congregatio rescribere po-
tuit illud non posse nisi quia per
novam disceptationem delicta po-
terant probari? Ergo censuit non
esse absolendum ab irregularitate
vel censura quemlibet qui pericli-
taretur de criminis patrati manife-
statione et notorietate.

Certum tamen est, illum absolvi
posse qui, quacumque demum de
causa, et medio adhibito, etiam il-
licito, a iudice dimissus est inno-
cens. Hoc enim in casu fama accu-
sati redit in pristinum. Quae de
cetero omnium Doctorum senten-
tia est. Unum citabimus Benedic-
tum XIV, *Inst. 87. n. 49.* « Ce-
» teri, qui de his rebus scripse-
» runt, occultum fore docent cri-
» men, quod in foro contentioso
» examinatur, si forte aliqua ex
» iisdem sententiis comparetur per

» falsos testes, aliasque rationes,
» quae ab aequitate abhorrent. Nam
» licet hoc pacto semper impedi-
» mentum supersit, infamia tamen
» obliteratur, et crimen ipsum qui-
» busdam tenebris obducitur. »

3°. Non quoslibet tamen Episco-
pus dispensare potest, at solum *de-*
linquentes quoscumque sibi subdi-
tos; eos scilicet qui in Dioecesi
verum domicilium, vel quasi domi-
cilium habent, tum *vagos*, qui nul-
lum cum habeant domicilium, sub-
iecti fiunt Episcopo in cuius Dioe-
cesi versantur; demum *peregrinos*
ob receptam eos absolventi con-
suetudinem, et declarationem latam
a S. Congregatione Concilii, quam
refert Gallemartius in op. *Declara-*
tiones S. Congr. ipsis Concilii Trid.
Canonibus et Decretis insertis Sess.
XXIV, cap. 6. de Reform. n. 4,
quae ita legitur: « Quaerebatur, an
» Episcopus in causa huius Cap. 6.
» habeat facultatem dispensandi cum
» suo Dioecesano absente in aliena
» Dioecesi legitime impedito com-
» morante? S. Congregatio censuit
» quod forensis in casu huius Cap. 6.
» potest absolvi in Sacramento poe-
» nitentiae ab illo Episcopo in cuius
» Dioecesi vel civitate commoratur,
» non autem ab alio dispensari. Fa-
» cit ad hoc, quod nuntii qui pos-
» sunt absolvere excommunicatos
» ob iniectionem manus in clericos,
» non possunt absolvere subditos
» extra provinciam. Accedit etiam
» quod Concilium loquatur de ab-
» solutione Sacramentali in foro

» conscientiae, quae requirit prae-
» sentiam, exemplo confessionis,
» quae non potest fieri per nun-
» cium vel per litteram. »

At Dioecesanus ille absens in casu
in alia Dioecesi, est peregrinus.

Quid vero de Regularibus, qui
quamvis exempti ab Episcopi iuris-
dictione, tamen de Superiorum suo-
rum licentia ad eos se convertunt
ut absolvantur a casibus occultis
Romano Pontifici reservatis? Profe-
cto absolvi poterunt ab Episcopo;
quam quidem sententiam plurimi
iique praestantissimi Doctores de-
fendunt. Nos unum Rotarium cita-
bimus, qui in op. *Theologia Mora-
lis Regularium Tom. III, Cap. 1.
punct. II, n. 22*, ita hanc senten-
tiam defendit: « Ratio est, quia,
» esto Regulares sint exempti, ta-
» men cum exemptio sit favor, non
» debet retorqueri in eorum dis-
» pendium, iuxta regulam iuris in
» 6°. *Quod ob gratiam alicuius con-
» ceditur, non est in eius dispen-
» dium retorquendum.* Retorquere-
» tur autem in eorum dispendium,
» et Regulares fierent deterioris
» conditionis quam ceteri de Dioe-
» cesi, si non possent habere re-
» medium animae in casu in quo
» caeteri habent. Additur, ut bene

» reflectit Bossius, quod exemptio
» Regularium in favorem potissi-
» mum fuit inducta, ut quietius Deo
» inserviant et ab ordinariis non per-
» turbentur (1) subiectio autem ad
» ordinarium in praedicto casu huic
» fini non nocet, imo favet quieti et
» tranquillitati conscientiae, quam
» ex absolutione quis reportat. Ne-
» que nocet quod sic subdendo se
» fiat Episcopi subditus; quia haec
» subiectio voluntaria est (2), de
» licentia sui Praelati, in favorem
» animae, et quoad forum internum,
» quae omnia considerari debent,
» et comparari cum aliis, in quibus
» subiiciuntur Regulares Episcopis,
» puta pro approbatione ad confes-
» siones saecularium, pro concioni-
» bus, missionibus, paroeciis, aliis-
» que pluribus, quae de se patent.
» Unde valde miror, quod auctores
» contrariae opinionis tanti faciant
» hanc subiectionem adeo utilem
» conscientiae Regularis, qui infe-
» liciter in dictum casum incidit,
» ut velint eum potius diu manere
» illaqueatum et irretitum, quam
» de licentia sui Superioris prom-
» ptum remedium humiliter petere
» ab Episcopo ».

Quibus addimus, allatas rationes
eo magis nunc solidiores fieri quod

(1) Quanti faciendae sint, et quantum sint verae eiusmodi rationes pro exem-
ptione Regularium ab Episcoporum iurisdictione Deus novit! Illis similes videntur
quas Tertiariae Servorum B. M. Virginis Benedicto XIII exposuere, quod scilicet
ob dependentiam ab Ordinariis patiebantur *animi perturbationem, et spiritus disper-
sionem.* De qua re Cf. Comment. Tom. 1. *Additio ad appendices, pag. 4,* et notam
subiectam.

(2) Addere potuisset et momentanea.

per Constitutionem *Apostolicae Se-
dis* ablata sit Superioribus Regu-
laribus facultas absolvendi suos
subditos a casibus Romano Pontifici
reservatis.

At 4° hos delinquentes Episco-
pus absolvere debet in *Dioecesi
sua.* Circa eiusmodi quaestionem
cl. D'Annibale haec scribit: « Illa
» autem, verba in *propria* (sua)
» *Dioecesi*, utrum ad absolvendum
» referenda sint, an ad absolgen-
» tem, non satis convenit; adeoque
» sufficit si alteruter in ea verse-
» tur ».

Sunt in re et aliae sententiae,
quas praetermittimus expendere,
quia nobis verae minime videntur.
Nos duo affirmamus: et verba in
Dioecesi sua ad Episcopum referri:
atque tum absolventem, tum ab-
solvendum in Dioecesi esse oportere,
ut hic absolvi possit.

Primum demonstramus a) ex quo
subiectum Tridentini Capituli sunt
uni Episcopi: *Liceat Episcopis.* b) Ex
quo Tridentini ipsi Patres id diser-
tis innuunt verbis, dum permit-
tunt Episcopis nedum *delinquentes
quoscumque sibi subditos* absolvere,
sed addunt in *Dioecesi sua*, id est
Episcoporum absolventium; si enim
in alia, haec non esset Dioecesis
neque subditorum, neque Episco-
porum. c) Ex quo, iuxta gramma-
ticae regulas, si Dioecesis referre-
retur ad illam in qua actualiter,
quacumque demum de causa, uti
vagi ex. gr. vel uti peregrini, sub-
diti delinquentes commorantur,

Tridentini Patres debuissent scri-
bere in *Dioecesi eorum.* d) Sed hoc
non satis consulto intelligere potuis-
sent Patres Tridentini. Quamvis e-
nim vagi et peregrini in foro con-
scientiae fiant subditi illorum Epi-
scoporum, in quorum Dioecesi
transeunt, vel commorantur; tamen
vere et proprie illa ipsorum Dioe-
cesis non est. At Patres Tridentinos
vere et proprie loqui de vera et
propria Dioecesi singulorum Epi-
scoporum ex Capite evidentissimum
est.

c) Tum ex eo quod praecipiant,
hos delinquentes subditos in aliis
criminibus absolvendos ab Episco-
pis per seipsos, vel vicarios ad id
specialiter deputandos, in haeresis
vero crimine per seipsos tantum in
foro conscientiae. At credendi ne
sunt Tridentini Patres praecipisse,
ut Episcopi propriam Dioecesim e-
grediantur et deserant ad aliquem
absolvendum?

Ex quibus demonstrata pariter est
alia sententia, qua diximus, etiam
subditos in Dioecesi Episcopi ab-
solventis versari debere. Id vero
demonstratur ulterius ex decreto
S. Congregationis Concilii supra
relato, quo Eminentissimi Patres
affirmant, dioecesanum absentem et
legitime impeditum in aliena Dioe-
cesi commorantem absolvendum
esse in *Sacramento Poenitentiae ab
illo Episcopo in cuius Dioecesi vel
civitate commoratur, non autem
ab alio*, seu Episcopo subditi de-
linquentis. Atque id ipsum demon-

strant alia duo argumenta ibi ad data.

Certum ergo putandum est, tum Episcopum absolventem, tum absolventem in propria Dioecesi versari debere, quo absolutio delinquenti subdito conferri possit.

5°. Hanc autem absolutionem Episcopis *per seipsos* (et in haeresis crimine *per seipsos tantum*), *aut vicarium ad id specialiter deputandum* impertiri licitum est. Quod *per seipsos* nulla quaestio. At relate ad Vicarium ad id specialiter deputandum quaeritur, utrum hoc nomine Vicarius generalis intelligi debeat, an etiam alius quilibet Sacerdos, cui absolventi in re potestas ab Episcopo fiat.

Eiusmodi quaestionem ita proponit et dirimit S. Alphonsus *lib. VI. n. 594. Dub. 9.* « An Episcopus » hanc facultatem Tridentini possit » generaliter aliis Sacerdotibus committere? Negant Henricus Menoch. » Corduba etc, qui dicunt posse tantum delegare in casibus particularibus, non vero generaliter. Idque inferunt ex verbis Concilii » in dicto Cap. *Liceat*, ubi conceditur Episcopis facultas absolventi » *per seipsos, aut vicarium ad id specialiter deputandum.* Sed pro » habilius et communius affirmant, » posse Episcopum generaliter committere vices suas quoad absolventes casus papales occultos, quia » hoc modo iam alii Sacerdotes reputantur specialiter deputati: Ita Sanchez, Suarez etc. Ratio, quia

» facultas haec competit Episcopis » iure ordinario, cum ipsa sit adnexa » dignitati episcopali, et ideo bene » potest alteri generaliter delegari. » Hinc recte ait Sanchez, Vicarium » Episcopi non habere potestatem » absolventi ab his casibus generali commissione Vicariatus, » nisi specialiter ab Episcopo committatur ».

Rationes vero adductae in cit. S. Alphonsi testimonio evidentissimae apparent. Certum est enim, facultates factas Episcopis in cit. cap. *Liceat* esse de ipsorum iure ordinario: certum insuper est, ex facultatibus eiusmodi concessis speciali modo, seu specialiter expressis in facultatibus concessis generaliter, constitui deputationem specialem ad casus contentos in Cap. *Liceat*; certum demum est, neque ex cit. Capituli Tridentini verbis, neque ex Episcoporum praxi, neque ex alio documento deprehendi Vicarium illum esse debere Vicarium generalem; ergo potest ad eiusmodi absolutiones impertiendas quilibet Sacerdos ab Episcopo deputari. Quo enim argumento ad unum Vicarium generalem facultates coarctabimus, quando ex nulla lege constat, ad eos tantum coarctandas esse?

Attamen eiusmodi facultates non quomodocumque Episcopus sive per se sive per alios specialiter deputatos exercere potest, sed *in foro conscientiae gratis, atque imposita poenitentia salutari.*

Verum relate ad forum *conscientiae*, quid sit, non una est sententia, cum alii dicant Episcopum facultates illas exercere posse in uno Sacramento poenitentiae; ita ut forus conscientiae et forus poenitentiae, in re saltem, unum idemque pro iis sit; alii vero contendunt, ab Episcopis concessas facultates exerceri posse etiam extra Sacramentum poenitentiae, pro quibus consequenter forus conscientiae et forus poenitentiae non unum idemque est.

Prioris sententiae defensores innotuntur tum praxi S. Poenitentiarum, tum cuidam declarationi S. Congregationis Concilii quae refertur a Fagnano in Cap. *Dilectus 15, de temp. ordinationum, nn. 35, 36.* Eam ita legimus. « Suborta dubitatione, an dispositio Concilii Tridentini in dicto Cap. 6, Sess. 24, » quo liceat Episcopis in quibuscumque casibus occultis, etiam » Sedi Apostolicae reservatis, delinquentes subditos in foro conscientiae gratis absolvere, comprehendat forenses fungentes praetoris » vel medici officio, et commorantes in civitate vel Dioecesi, adeo » ut tanquam subditus, ex quo ibi » ecclesiastica Sacramenta percipere » tenetur, debeat censeri? Sacra » Congregatio censuit, Episcopum » posse hos absolvere tamquam vere » subditos ex facultate ei attributa » dicto Cap. 6; posse item dispensare, quando est materia coniuncta; nempe idem factum in eadem

» persona concurrens, ex quo et » peccatum, et irregularitas incurratur, ex doctrina Abbatis in Cap. » *Omnis utriusque n. 23 de poenitentis et remissionibus.* Verum » relate ad Gregorium XIII Congregationis sententia, Sanctitas sua dixit » posse Episcopum absolvere dumtaxat in Sacramento poenitentiae, non autem dispensare ». Ex quo testimonio argui posse videtur, quod si Gregorius XIII Sacramentum poenitentiae pro foro conscientiae sumpsit, saltem in re, nulla distinctionem fecit inter forum conscientiae et forum poenitentiae; si autem Sacramentum poenitentiae pro foro conscientiae non accepit, manifestum est, eum declarasse, Episcopos uti posse facultatibus eis tributis in Cap. *Liceat*, in Sacramento poenitentiae tantum, et minime in foro conscientiae.

Attamen communis Doctorum sententia est, distinguendum esse forum conscientiae a foro poenitentiae. En quomodo rem declarat Lucius Ferraris Biblioth. Canon. V. *Forum seu Forus, n. 63.* « Forum internum aliud dicitur Poenitentiae, in quo aliquid geritur » interveniente Sacramento Poenitentiae, sive absolutione sacramentali. Et aliud non poenitentiae, in quo aliquid geritur sine » Sacramento poenitentiae, uti si » aliquis extra Sacramentum absolvatur a censura, vel reservatione » peccati. Unde ex his patet, forum poenitentiae et conscientiae